DECIMA
CLERI SECVLARIS
Contra Exemptiones Patrum Soc: IESV. Antea defensa.

Deinde Vigore Breuis
INNOCENCII PAPÆ X.
Executioni debitæ accommodata.

Nunc Tertio Sacræ Congregationi Eminent^rum Concilij Tridentini Interpretum Contra Conclusiones R. D. Ioannis Naldi repræsentata.

PER
IOANNEM MARKIEWICZ I. V. D.
Canonicum Posnaniensem, S. Iacobi Casimiriæ ad Cracouiam Præpositum S. R. M. Secretarium.

Permissu Superiorum.

CRACOVIÆ,

M. DC. XLVIII.

APPROBATIO.

IAcobus Vstiensis S. Theologiæ & I. V. Doctor Ordinarius per Diæcesim Cracouiensem Librorum Censor concedit facultatem excudendi libelli sub titulo Decima Cleri secularis ab Admodum Reuerendo D. IOANNE MARKIEWICZ I. V. Doctore Canonico Posnaniensis Ecclesiæ S. Iacobi ad Cracouiam Casimiriæ Præposito confecti pro decreto Eminentissimorũ Cardinalium Concilij Tridentini interpratum Sacræ Congregationis contra Consultationem Ioannis Naldi publicatam.

Idem q; supra
Manu propria.

PRodijt nuper in Polonia Libellus, de data Romæ. Ex Typographia Reu: Cam: Apl: 1647 Superiorum permissu. Cui Titulus Datus. *Polona Decimarum. Pro Patribus SOC: IESV, & alijs Regularibus, contra Libellum à Reuerendo Ioanne Markieuicio euulgatum. Consultatio.* Autore R. D. Ioanne Naldo.

Ad eundem Responsio. & primo ad ¶¶. 2. & 3.

OMisso priori meo libello, in cuius confutatione tota vis consistebat, arguit R. D. Ioannes Naldus posteriorem, & vocat illicitam Interpretationem, desumptis aliquot verbis ex L. fin: C. De Legibus. Vel maximè ibi. *Quis tantæ Potentiæ fastidio tumidus est.* &c. 1.

Parcat mihi D. Naldus quòd simpliciter dicam, illum non intellexisse legem, aut ex industria substantiam illius subticuisse, & defectuosè allegasse: Vbi enim posuit &c. debuit ponere verba subsequentia, intentionem Principis indicantia, quæ nos sic ponimus. *Quis tantæ superbiæ fastidio tumidus est, vt Regalem sensum contemnat? Dubitatum enim est in veteribus legibus, si Imperialis sensus legem interpretatus est, an oporteat huiusmodi Regiam interpretationem obtinere?* Vbi Imperator ridet hanc vanam subtilitatem, & corrigendam esse censuit: DEFINIENDO. *Omnem Imperatorum Legum interpretationem, siue in precibus, siue in Iudicijs, siue alio quocunq; modo factam ratam & indubitatam haberi.* Cum ergò in hac Lege Imperator Iurisdictionem suam in interpretando defendit, quod quidam non permittebant, non ideò aliorum facultatem interpretandi in eadem lege tollit; quod apparet 2. 3. 4.

 ibi:

ibi: *Ex suggestionibus Procerum si dubitatio in litibus oriatur, & sese non esse idoneos vel sufficientes ad Decisionem litis illi existiment, ad nos decurritur.* L. fin: C. De Legibus.

5. Sed iste Recursus fit, si Copia sit Imperatoris, si autem non sit, debet procedi de similibus ad similia. *gl: Notabilis in L. Cum de Nouo Iure. C. De Legibus. L. Non possunt. ff: Eod*: Minimè enim sunt mutanda, quæ interpretationem certam semper habuerunt. *l. 23. ibid:* Si enim de interpretatione legis quæratur, inprimis inspiciendum est, quo Iure Ciuitas retrò in eiusmodi casibus vsa fuit. Optima enim est legum interpres Consuetudo. *L. 37. ff. eod:*

6. Itaq; interpretari licet, vt minus recedamus à Iure Communi, à quo omnis Constitutio recipit interpretationem. *c. 1. Cum dilectus. & ibi gl. ver: Iure communi. De Consuet: Rom: consil: 328. N. 10. Gonzal: sup: Reg: 8. Cancell: gl. 4. N. 135. Rot: Decis: 512. N. 5. par: 1. Diuers:*

7. Talis interpretatio nostra quæ fundatur in Iure Communi. *Vt c. statuimus. c. De cætero. c. veniens. De Transact:* eaq; authoritatibus Doctorum & Rotæ innixa, non placuit D. Naldo: sed nobis sufficit, quod à Prudentibus reprehendi non potest *iuxta Menoch: de Arbitr: Iud: lib: 2. cent: 2. casu 199.* Vbi videri possunt plusquam viginti rationes interpretandi, & ferè omnes seruiunt ad nostrum casum, cum allegationibus plurimorum Doctorum.

8. Euitari enim debet iniustitia in qualibet sententia, ad quem effectum, etiam verba sunt improprianda, & pro Iustitia sententiæ facienda est omnis Interpretatio. *Rota in Bononien: Successionis. die Lunæ 10. 1633. apud Valentissimum R. P. D. Merlinum.* Plurimum autem Iustitia læderetur, si S. Congregatio omisso Iure Canonico & Ciuili, Rotæ & Doctorum authoritatibus postpositis, sequi deberet rationes D. Naldi: quæ quanti sint momenti, facto in præmissis indicio, sequentia melius indicabunt.

Ne au-

Ne autem allegatas authoritates ex Iure Canonico prætermittamus, glossæ sufficienter illas ad nostrum propositum declarant, ita vt non opus sit in illis moram facere. 9.

Remitto D. Naldum pro meliori informatione ad gl. allegatæ ab ipso *L. fin: C. De Legibus. Sub verbo. Solus Imperator interpretari potest.* Vbi post alia concludit. *Excludit ergò solus singula generum, non genera singulorum*; & probat Exemplo. *Scipio solus Ciuitatem seruauit, id est nullus alius solus*; *magis autem Populus seruauit.* Et sic nostra Interpretatio saluatur. Cui assistunt Iura Canonica, Ciuilia, Decisiones Rotæ, & Doctorum Authoritates. 10.

Ad §§. 4. & 5.

DVm enarrat D. Naldus Controuersiam inter Plebanum Loci Golambie & Collegium Cracouiense Patrum Soc: non potuit negare P. Albertum Męcinski Iezuitam, ob denegatam Plebano decimationem, fuisse in Iudicio Tribunalicio Bannitum. Quod Bannimentum exaggerat in gloriam illius Patris conuersum, dum Nangazachi suspensum, decapitatum, & combustum nobis describit in Anno 1643. 11.

Respondeo.

DOlemus hunc Patrem ab infidelibus sublatum, qui Patriæ suæ & consanguineis solatio esse potuit; qui sæpius fortassis iniustè conqueruntur, missum ad infideles Regiones ne ampliùs ad suos rediret, & ne donationes multarum Possessionum reuocaret. Sed sit anima illius in Benedictione, & gloriosus de victoria triumphet, Et prosit agnatis suis labe hæreseos infectis quorum iniuriosos contractus PP. Soc: pro fundamento suæ iustitiæ in Curia Romana sibi ponunt qui non solum in Decimis nostros Parochos impediebant, sed ipsas Ecclesias Catholicas in hæreticas conuertebant. A quibus in vitis non adeò pridem in Dzialoszyce. Diæc: Gnesnens: Ecclesia profanata ad ritum Catholicum reuocata 12.

 est.

est. Prosit ergò etiam illis, pro quorum salute præmijs æternis dignâ morte occubuit. Non ideò tamen sequitur, hoc martyrio Patres Soc: à solutione Decimarum esse liberatos: quia etiam apud nos tales Bannitiones, morte ante eliberationem subsecutâ finiuntur, neque tamen successores ab oneribus Fundi liberantur. Quia res transit cum onere suo ad quemlibet Possessorem, non solum de Iure Communi, sed etiam ex S en tentia Theologorum. *Laiman Soc: IESV. lib: 4. tract: 6. N. 5. adducens S. Thomam a. 4. & Doctores in c De terris. De Decimis.*

Non obstant nobis Decisiones Rotæ coram R. P. D. Cerro: quia hæ sufficienter sunt refutatæ in meo priori libello à N. 155. vsq; ad N. 220.

13. Neque Plebanus Loci Golambie est inculpandus, quod Romæ Iustitiam causæ non curauerit, quia in eodem libello satis demonstraui difficultate itinerum, distantia Loci, & impedimentis Iustitiæ, nostros Parochos satis esse excusandos, qui pauperes Dote & Fundatione suorum Beneficiorum spoliati, potiùs eligunt intra Domesticos Parietes lacrymari, & coram Deo suo ad Altare ingemiscere, quàm concurrentibus præmissis, extra Patriam cum Iesuitis litigare: quod notatum est fusius in meo priori libello N. 222. vsque ad N. 225.

14. Sed quid audeo meum allegare libellum? Qui quidem quantum valeat suo tempore apparebit, promittente nescio quid Aduersi D. Naldo. Et dante rationem quia Patres aut eorum Aduocati cursim Iura sua non componunt, nec euulgant, prout me fecisse nescio quo Authore asserit; & dicit in itinere equitando compositum esse meum libellum. Vt meliùs informetur D. Naldus sciat me opusculum hoc fecisse Posnaniæ in fine Anni 1641. in loco Residentiæ mei Canonicatus spatio non ampliùs duarum septimanarum. Testis est mei laboris Illustrissimus D. Lociordinarius Patronus & Benefactor meus, testes Prælati & Canonici confratres mei: neq; enim talia in itinere equitando fieri possunt, quæ probationes multorum Autho-

Authorum, & non mediocris Bibliotecæ subsidium requirunt. Hoc verum est quod equitando in itinere Senis censurari, Parisijs à Sorbona confirmari, & non solum ibidem, sed etiam alijs in locis meo proprio sumptu typis euulgari feci. Quoties contra hoc meum opusculum proclamatum est; nunc Belgam, nunc Hispanum, & alios responsionem parare promittendo Et ecce iam quinquennium decurrit post euulgationem, nondum tamen duarum septimanarum minimi Doctoris labor publicè refutari potuit. Nempè difficilè nimis est Sacros Ca- 15.
nones à S. Spiritu dictatos expugnare; qui cum nobis contrarij non possint reperiri, excusandus est cum procuratore Patrum Soc: D. Naldus, quod ad exorbitantia Remedia debuerint recurrere, dum contra SS. Canones & Synodales Prouinciales Constitutiones. authoritate Apostolica & Censurâ S. Congregationis Eminentium Concilij Tridentini Interpretum approbatas & confirmatas, constitutione laicali Anni 1635. insurgunt, de qua breuis fiet sequens discursus. 16.

Ad §§. 6. & 7.

VT contraria iuxta se posita magis elucescant, præmittit 17.
vltimam constitutionem Synodalem, quæ obligat Regulares & mendicantes de Bonis suis acquisitis vel acquirendis ad soluendum Decimas sub pænis in Statutis Prouincialibus, & Constitutione Gebiciana specificatis &c.

Huic opponit Constitutionem Regni de Anno 1635. Quæ 18.
nihil aliud in se continet, nisi obseruandas esse à Parochis concordias cum Laicis factas, siue fiendas, sed ad illas necessario requiritur Authoritas Episcoporum, & Assistentia duorum de Capitulo Canonicorum, ad constituendam iustam taxam. Alias sine istis solennitatibus factæ mortuæ & inualidæ censentur, & non excedunt suos authores: iuxta Iuris communis dispositionem & sic apud nos practicatur.

Respon-

Reſpondeo.

19. QVid habent commune cum Laicis Religioſi homines? quos noſtra ſtatuta Sanctiores Laicis eſſe volunt: & dicunt flagitioſum eſſe lucrum, deteſtandum crimen, turpe & per omnia iniquum quoſdam tolerare Clericos, qui per rerum alienarum immoderatam cupiditatem Decimas alterius rapiunt. &c. *Conſt: Synod: lib: 4. fol: 334. fundata in c. Quamuis De Decimis, Decret: Eccles: Gall: lib: 6. tit: 8. cap: 19. De Decimis. apud Bochel*: quod expreſſe poſitum eſt primo folio in meo priori libello: non grauetur Lector recurrere quia videbit non ordinarium ſtilum Gallicum.

20. Societas IESV ab initio ſuæ Fundationis. Ad Maiorem Dei Gloriam, & Ordinis Eccleſiaſtici incrementum ſuum eſſe Inſtitutum profitebatur: & eo reſpectu fauore & liberalitate Cleri ſæcularis Prouentibus Eccleſiaſticis in Polonia abundat. Iam nunc contra SS. Canones & contra Conſtitutiones noſtras Synodales, videtur cum Laicis, & his maiori ex parte hæreticis conſpirare: dum eorum leges, ad euertenda Iura Canonica, reclamante & Proteſtante Clero fabricatas, etiam Romæ

21. ad augendam iniuriam noſtram repræſentant: quaſi Roma poſtpoſitis Canonibus, & repulſis conſtitutionibus Synodalibus, (quas Sacroſanctè obſeruandas, præmiſſâ Cenſurâ S. Congregationis Concilij, Authoritas Apoſtolica pro futuris perpetuis temporibus approbauit & confirmauit.) imponi ſibi & perſuaderi permittat, vt Laicorum leges ad executionem talem deducat, qualem in Polonia habere non poſſunt, niſi contractus Decimarum Authoritate Epiſcoporum cum Adiunctis duobus ex Capitulo Canonicis nobili genere natis facti producantur. *Conſt: Anni 1635.*

22. Meruerunt Profectò Patres Soc: vt quandoquidem ſuam cauſam non Canonibus, aut Conſtitutionibus Eccleſiaſticis, ſed ſtatutis Laicalibus cum factione Hæretica coniunctis, Romæ definiri volunt, remittatur hoc negotium in Poloniam

oniam ad Tribunal Regni Compositi Iudicij, quia eadem Constitutio ibi forum litigantibus ratione Bonorum Terrestrium assignat, vbi ad causas Spirituales interueniunt Ecclesiastici & sæculares Deputati Iudices, & in hoc foro, vbi locus est examini & Executioni Legum nostrarum, libenter patiemur Iudicatum. Hoc ipsum S. Congregationi indicium erit, quomodo Patres Soc: legi allegatæ confidant, si nolint remitti: recordantur enim, & ipse D. Naldus initio suæ consultationis insinuat: P. Albertum Męcinski ob non solutionem earundem Decimarum in eodem foro Tribunalitio fuisse bannitum, id est pæna minoris Infamiæ notatum. quod postea dicit gloriosâ morte illius esse expiatum. supra N. 11.

Nec mirum alicui videatur, cum dico legem supra allegatã cum factione Hæretica esse coniunctam. Nemo enim magis negotium hoc quam dissidentes in Religione promouebant, ita vt vel maximè allegatione Breuis Apostolici vterentur quibus Ill^mus & Excellentissimus D. Georgius Ossolinski nunc Cancellarius Regni resistendo, inter alia dixit: se non causâ ipsorum Romæ Legatum fuisse, vt eorum inualidi contractus, & Ecclesiæ Catholicæ præiudiciosi approbarentur. Conseruet Deus diu incolumem Patronum, quem hisce temporibus apud nos voluit esse Ecclesiæ suæ propugnatorem. Nulla enim Comitia prætereunt, nulli publici consessus fiunt, in quibus contra insultus Dissidentium in Religione non se opponat, & quoties toties, reprimendo Conatus Aduersariorum, aureâ sua facundiâ Professionem Fidei Catholicæ cum publico applausu emittat, ad confusionem eorum qui contra iura nostra grassari cupiunt. 23.

Sed quandoquidem difficillimis Reipub: nostræ temporibus 24. omnium ordinum postea consensus accessit, vt lex supradicta inter Constitutiones Regni inscriberetur, per istam legem non possunt illi contractus Laicorum, quos Patres Soc: producunt saluari, quia non habent solennitates ab eadem lege requisitas,

 videlicet

videlicet Authoritatem Episcopi, neq; taxam valoris Decimarum per duos Canonicos, prout vigore eiusdem legis requiritur, alias contractus mortui & inualidi censentur, & non excedunt suos Authores.

25. Nemo supponat apud nos Laicos aperte posse negare Decimas. Sed dicunt se grauari à morosis & indiscretis Decimatoribus, vt dum diuturniori tempore etiam à Iure definito, Segetes in campis Decimationem expectant, frequenter ab iniurijs cæli corrumpantur, & ita culpam referunt in Decimatores, quod mora ipsorum fuerit sibi nociua. Ideò ex hoc vel maxime respectu vrgent Compositionem: quæ ne sit Ecclesijs damnosa, prouisum est per sollennitates Iuris. Qui tamen habent Ius clarum, & possessionem decimandi, non possunt compelli, si nolint descendere ad aliquam conco diam.

26. Volenti non fit iniuria si velit contrahere, vel antiquiores contractus ratificare: sed ne id fiat in fraudem successorum, præcaueatur præiudicium per solennitates Iuris, vt non valeant contractus, nisi sint facti Authoritate Episcoporum, cum duobus ex apitulo ad Constituendā taxam iusto precio æstmatam. Quos tales cum Patres Soc: non producant imò producti, ob valde leuissimā taxam, vix vigesimæ parti iusti valoris correspondentem, præsumuntur facti in fraudem succesorū; frustra

27. laboratur de obseruatione eorundem; quia sic non possunt etiam sub lege laicali comprehendi. Si enim Iura succurrunt ijs, qui sunt vltra dimidium læsi. *c. Cum dilecti: De Empt: & Vend*; multò magis debet securri ijs, qui sunt læsi vltra Decimam aut Vigesimam partem: quia ex his mala fides insurgit, quam non possunt velare Transactiones & Concordiæ initæ inter contrahentes, quia continent manifestam & totalem læsionem Beneficiatorum, quæ læsio dolum solet arguere & præcipium. *Rota in vna Mediolan nsi Pensionis Veneris 19. Ianuarij 1635. N. 29. coram R. P. D. Merlino. Menoch: de Præsum: lib: 5 Præsum: 3. N. 69. & seq. cum multis allegationi us.*

28. Qua probata læsione, super ea debet fieri Restitutio in inte-

grum: ad quem effectum satis est quæcuuque iniustitia etiam non notoria. *Rota in vna Salernitana Portionis fructuum, die veneris 9. Iunij 1635. N. 1. & 2. coram R. P. D. Vecoßpio.* & in re manifesta non vtor pluribus Allegationibus.

Ad quem effectum, ne fraus & dolus in Ecclesias & Beneficiatos nostros committatur, habemus antiquum & Authenticum Iurium nostrorum Codicem, quem vocamus *Librum Beneficiorum.* ad quem quilibet iniuriatus in Prouentibus Ecclesiasticis, si non habeat domi suæ authentica documenta, quæ plerumq; in villis morte Presbyterorum subsecuta surripiuntur & pereunt, ad hunc librum habet recursum, & obtinet in quolibet Iudicio conformes Iuri suo Decisiones. Et inde sunt subsecutæ contra P. Albertum Męcinski Excommunicationes & Bannitiones. 29.

Ad §§. Octauum, Nonum, Decimum, & Vndecimum, non est quod respondeam, quia non aliud continent, quam summulam mei secundi Libelli.

Ad §. 12.

COntra meúm posteriorem Libellum D. Naldus format aliquot Conclusiones, easq; ad senarium vti perfectum numerum reducit. 30.

Et prima Conclusio est talis. Decretum S. Congregationis non abrogauit Priuilegia Patrum Soc: circa Decimas, nec præiudicauit Resolutionibus Rotalibus desuper factis: sed in Partibus tantum ibi expressis illis derogauit.

Postea longiuscule disputat: quid sit Derogatio & Abrogatio, & quod Leges ex duplici Capite abrogari possunt, per contrariam legem vel per Consuetudinem. Non primo modo abrogatæ Decisiones Rotæ, quia neque à S. Congregatione, nec à S mo D. nostro specificatæ. 31.

Non secundo, quia non solum non adest Consuetudo contra Priuilegia Patrum, sed facit pro ipsis, allegando eorum obseruantiam, & in fauorem Decisiones Rotæ.

Respondeo.

32. QVid sit & quotuplex Abrogatio & Derogatio Legis, non descendo ad istas quæstiones, & scholarium disputationi relinquo. Sed dico qualitercumq; vocemus Decretum S. Congregationis, siue Legem, siue Constitutionem, siue Rescriptum, in illo Derogatum est Priuilegijs Soc: IESV. & reuocata Decreta Rotæ; quod patet ad oculum iuxta ea quæ dixi
33. in meo posteriori Libello. Quia Rota iudicauit Domus & Collegia Soc: IESV in vim Indultorum Apostolicorum esse exempta & immunia à quacunque Decimarum Solutione.

34. E contra S. Congregatio: *Iterum atq, iterum auditis Patribus Soc: IESV, eorumq, Iuribus & Priuilegijs maturè discussis, censuit ab eisdem Patribus soluendas esse Decimas Parochis & alijs Beneficiatis Regni Poloniæ, quæ soluebantur à Laicis.*

35. Item Rota censuit. Transactionem super Decimas per Rectorem tunc temporis factam esse rescindendam, nec viribus subsistere.

36. Econtra S. Congregatio. *Iterum atq, iterum auditis Patribus Soc: Iesu, eorumq, Iuribus & Priuilegijs mature discussis, iudicauit firmas remanere transactiones desuper factas.*

37. Quibus sic stantibus cæcus erit ille, aut lumine rationis destitutus, qui non videat aut non intelligat, per posteriorem contrariam Decisionem S. Congregationis reuocatas esse Priores Rotales. De quibus S. Congregatio optime informata fuit quia cum dicit: *Eorumq, Iuribus & Priuilegijs iterum mature discussis:* non est præsumendum omisisse Iesuitas pro libertate sua, Decisiones Rotæ allegare, quibus tamen non obstantibus, censuit & Decimas esse soluendas, & Transactiones obseruandas.

38. Sed inquit neq; S. Congregatio, neq; Smus in suo Breui nominauit Decisiones Rotæ Ergò non reuocauit. Respondeo iuxta assertionem Laimani Soc: Iesv Theologi, qui dicit, quod posterior Principis Constitutio derogat vel abrogat Priorem,

quatenus ei contraria est, licet verbis expressis nulla eius mentio fiat. *Laiman lib: 1. Tract: 4. c. 21. n. 2.* Quod conforme est Iuri Canonico, vbi dicitur. *Romanus Pontifex Constitutionem condendo posteriorem priorem quamuis de ipsa mentionem non faciat, reuocare noscatur c. 1. de Constit: in 6.* Vbi etiam cauetur quod locorum specialium & Personarum singularium consuetudinibus & statutis, dum tamen sint rationabilia, per constitutionem à se nouiter editam non intelligitur in aliquo derogare. Et talia sunt nostra Statuta Synodalia, quibus Priuilegia Iesuitarum nullo modo possunt derogare, etiamsi S. Congregatio pro nobis nullum interposuisset Decretum. *Rota in vna Meleuitana status die Lunæ 14. Martij 1636. coram R. P. D. Buccabella N. 2. & 3.* 39.

Vrget vlterius D. Naldus dicendo: Sed omnis euacuatur difficultas in casu nostro, quia non solum non adest contraria consuetudo Priuilegijs Patrum in Polonia, sed totum oppositum inuenitur, quasi ex concessione nostra, iuxta Decisiones Rotæ 40.

Respondeo.

NImis durum est luci tenebras, & veritati fabulas obijcere. 41. Nonne dixisti D. Nalde ab initio tuæ scripturæ: Patrem Soc: IESV Albertum Mecinski in Iudicio nostro Tribunalicio bannitum fuisse ob non solutionem Decimarum, & hanc infamiam Nangazachi martyrio expiasse? Nonne scis ex ipsis Decisionibus Rotæ in Causa eiusdem Parochi Loci Golambie, & præsertim ex Sententia R. P. D. Cerri, primo coram Ordinario Cracouiensi, deinde coram D. Nuncio Apostolico, causam hanc per viam Iustitiæ ventilatam, & eundem Patrem Albertũ fuisse excommunicatum? Tandẽ postea eorundem authoritate ad talem concordiam negotium redactum, vt Plebanus loci Golambie perpetuis temporibus Bona specificata ad Parochiam suam & ad Collegium Patrum Soc: Cracouiens:

 spectan-

ſpectantia decimare deberet, & de facto Vigore eiuſdem concordiæ & Iurium ſuorum per triennium decimauit? Nonne ſcis ſtatuta noſtra Synodalia eſſe contraria huic Exemptioni, confirmata à ſede Apoſtolica, cum Decretis irritantibus, & ſublata Poteſtate quibuſcunq; Iudicibus aliter iudicandi? Nonne ſcis vltimam Synodum noſtram contra Exemptiones Patrum Soc: & Deciſiones R. P. D. Cerri ad Smum prouocaſſe, eidemq; de Remedio ſupplicaſſe, & mandato ipſius Decretum
42. à S. Congregatione obtinuiſſe? Quomodo ergò audes S. Congregationi velle perſuadere, vt tibi credat, conſuetam fuiſſe obſeruantiam in Polonia Exemptionum Patrum Soc: IESV à ſolutione Decimarum? Quæ cum debeat probari in ſpeciali caſu de quo agitur. *Rota in vna Cæſarauguſtana Camerariæ die Veneris 26. Nouembris 1632. coram R. P. D. Pirouano.* Non ſolum non probatur, imo ſupra ſpecificatis Actibus contrarijs, tanquam difformis excluditur. *Rota in vna Meleuitana Commendæ. 4. Decembris 1634. coram eodem R. P. D Pirouano.*

Non ſolum non probatur, imò ſupra ſpecificatis Actibus contrarijs, tanquam difformis excluditur & annihilatur. *Rota in vna Meleuitana Commendæ. 4. Decemb: 1634. coram eodem R. P. D. Pirouano.*

Ad §. 18. & ſequen: vſq; ad §. 22.

43. SEcunda Concluſio R. D Naldi eſt. Decretum S Congregationis non emanauit per modum legis vniuerſalis aut particularis, ſed per modum Concordiæ: Ergò non poteſt trahi ad præterita. Et ita cauſa Plebani Loci Golabie excluditur, cùm ſit de præteritis: & non poſſit eſſe Decreto S. Congregationis connexa, ex quo antea tranſijt in Rem Iudicatam.

Reſpondeo.

44. LIcet D. Naldo Breue Apoſtolicum vocare prout ipſi placet, ſiue legem Vniuerſalem, ſiue legem Particularem. Ego dixi: illud Breue Pontificium habere vim legis inter illos inter

quos

quos concessum est. Et vsus sum authoritate Decij. *in cap: Et quoniam. De Rescriptis. N. 4. & 6.* Dixi praeterea Materias in Iudicium deductas semper esse de praeteritis *L. Non potest. ff. De Iudicijs. c. fin: & ibid: gl. 1. & gl. Ad futuras. De rescriptis. Daoyz Ind: Iur: Eccl: verbo Rescriptum.* Et sic Decretum S. Congregationis facile colligitur esse de praeteritis.

Quod autem dicit decretum S. Congregationis habere se per modum Concordiae, nobis non verificatur Quid enim illa verba in Decreto denotant, *Iterum atq; iterum Auditis Patribus Soc: IESV, eorumq; Iuribus & Priuilegijs maturè discussis, censuit & Decimas esse soluendas, & Transactiones obseruandas?* Certè non aliud denotant haec verba, nisi magnam resistentiam Patris Societatis fecisse in Demonstratione suorum Iurium & Priuilegiorum. ita vt S. Congregatio debuerit illa iterum atq; iterum examinare Et ipsum Breue contrarium nobis exponit. his verbis; *Cui etiam Decreto Postea Patres consenserunt, prouti & Agens Regni Poloniae:* Ergò post Decretum consenserunt, qui Consensus non fuit Concordia, sed fuit effectus non tam voluntatis, quàm necessitatis, cum vtraque pars deberet iudicatum pati, licet cesserit non ex voto vtriusq;. *L. Diem proferre. ff: De recept: arb: §. stari autem debet.* Et Agens noster fuit Romam missus non vt statuta synodalia destrueret, sed vt approbari & confirmari obtineret, quod ex literis eius Credentialibus abundè patebat. 45. 46.

Illud ridiculosum est, quod D. Naldus causam plebani Loci Golabie velit à Decreto S. Congregationis separare, ex eo, quod iam antea transiuerit in Rem indicatam, & ideò cum Decreto nullam habuerit connexionem: Licet se postea correxerit, tunc legem retrò trahi, quando id quod per legem prohibetur, erat etiam ante legem prohibitum. 47.

Respondeo Decisiones Rotae in causa Plebani Loci Golabie non transiuisse in Rem iudicatam, quia Rota debuit pronunciare sententiam iuxta Statuta nostra Synodalia, à Sede Apostolica 48.

stolica

ſtolica approbata & confirmata, cum Decreto irritanti: ſublatâ poteſtate aliter iudicandi; ideò ſententia eiuſdem tanquam Iuribus noſtris contraria; eſt nulla & iniuſta, quæ non poteſt tranſire in rem iudicatam. *Rota in vna Neapolitana Legati. die Veneris 1. Februarij. 1631. N. 1. coram R. P. D. Ghiſilerio. L. 4. ff. De re Iudic: §. Condemnatum.*

49. Habet autem magnam connexionem: Quia in Decreto S. Congregationis illa clauſula facit ſatis bonam connexionem, quæ eſt, *Iterum atq; iterum*: & denotat illud quod primo fuerat in Rota deciſum, iterum à S. Congregatione examinatum eſt, & reuocatum.

50. Prohibitum etiam fuit ante hoc Decretum Patribus Societ: vti exemptionibus à Solutione Decimarum, in ſtatutis Prouincialibus antiquis, & alijs ſubſequentibus: ab ipſo Gregorio XIII. die 8 Aprilis. 1578 & poſtea à Gregorio XV. die 16. Iunij, 1623. & alijs approbatis & confirmatis. Quam Statutorum noſtrorum prærogatiuam optimè D. Naldus animaduertere poterat in meo priori libello. *à N. 89. vſq; ad N. 134.*

Ad §. 23.

51. CVm D. Naldus non poſſet ſatisfacere meis rationibus, & præſertim *gl: V. futura in cap: fin: De Conſtit.* quæ ad præterita valde reſpicit in caſu Iuris Naturalis & Diuini: tres infert Conſequentias quaſi abſurdas. *Prima*, quod Papa non potuiſſet concedere Exemptiones à Decimis Regularibus. *Secunda* Quod iſta Exemptione vtentes culpam & peccatum contraxiſſent. *Tertia.* Quod totum Ius Canonicum ſubuerteretur.

Reſpondeo ad primam ſequelam.

52. MAllem D. Naldus tacuiſſet has materias, ſed ne inde victor euadat, reſpondendum eſt, Præſuppoſito Decreto conciliari communiter nominato, Capitulum *Nuper.* De Decimis: quod expreſſe poſitũ eſt in meo priori Libello. ſub N 28. DICO. Non probare Gallos & præcipuè Sorbonam Pariſienſem huiuſmod

modi Exemptionem, dum de ea quæstionem mouent; his verbis. Quæ est hæc iniuriosa immunitas, vt Exempti sitis à Decimarum Solutione, quibus obnoxiæ terræ erant anteqnam vestræ essent? Et quæ solutæ sunt hactenus Ecclesijs, non personarum obtentu, sed territorij ratione. *Et infra.* Non ponimus os nostrum in cælum, nec de facto summi Pontificis disputamus: sed si D. Papa indulgentia speciali quandoq; priuilegiauit vos; dum Ordo vester in paupertate gaudebat, dum in vsus egentium suæ tenuitatis viscera liberaliter effundebat; potuit tolerari ad tempus, licet in communem redundaret iniuriam, quod Causa necessitatis fuerat introductum. Nunc autem quando vestræ possessiones multiplicatæ sunt etiam in immensum, Priuilegia hæc potiùs ambitionis, quàm Religionis Instrumenta censentur. *Const: Gall. c. De Priuil. & Dispens. tit. 2. c. 1. apud Bochel:* 53.

Existimaret aliquis Gallos & Sorbonam more suo facere, dum audacius contra Exemptiones insurgunt. Sed ne errorem contra summos Viros, & Iurium Ecclesiæ strenuos defensores committat; sciat allegatam sententiam illorum vel maximè fundari in Iure Canonico: ibi: *Discretioni vestræ mandamus, quatenùs super ipsis Decimis componatis. Nam quando Romana Ecclesia Ordini vestro Priuilegia de Decimis dederat, ita erat Abbatiæ raræ vestri Ordinis, quod exinde nulli poterat de Iure scandalum suboriri: sed nunc in tantum augmentatæ sunt ac possessionibus ditatæ, quod multi viri Ecclesiastici de vobis apud nos querelā sæpè proponunt. c. Suggestū. c. Dilecti. c. Ex parte. De Decimis.* 54.

Subtilissimè non approbat hanc Exemptionem à Decimis Fillucius Soc: IESV Romanus Theologus, & quod Galli in supra allegato textu non audent, aut nolunt, ipse resolutissimè disputat de Facto Pontificis circa Decimas, cuius verba hæc sunt: quæ sequuntur. 55.

DICO PRIMO. Papam *de potestate absoluta* posse obligationem Decimarum tollere quoad quotam: Non autem 56.

quoad

quoad Decimas ſuſtentationis. DIXI. De poteſtate abſoluta. *Nam de ordinaria, prout ſubeſt Directioni & Regimini Spiritusſancti.* Non poteſt; Præterquam quod enim non licite fieret, quia non eſſet Diſpenſatio ſed diſſipatio redditnũ Eccleſiaſticorum. Nec etiam fieri poſſet, quia cum pertineat ad prouidentiam Dei regere ſupremam poteſtatem Papæ, vt non

57. erret cum notabili detrimento totius Eccleſiæ. Id autem fieri non poſſet abſq; tali damno tum temporali tum ſpirituali: quia minueretur cultus Diuinus, & Eccleſiaſticæ perſonæ vileſcerent: & pauperum ſubuentio magna ex parte periclitaretur: ſequitur conſequenter moraliter loquendo id fieri non poſſe, ſicut non poteſt eodem modo nec Eccleſiaſtica immunitas abrogari, nec Eccleſiaſticæ Ceremoniæ auferri, qui modus loquendi congruit. *c. Literas. De reſtitut. Spol. cum ſimilibus. Fillucius Tract. 27. par. 2. De præcept. Ieiun. & Decim. c. 7. quæſt: 9. N. 155*

58. Conſideret benè meus Lector ſenſum Fillucij: Nulla poteſtate neq; Ordinariâ, neq; Abſolutâ, permittit Papam poſſe obligationem tollere quoad Decimas ſuſtentationis. Quoad quotam autem permittit diſpenſari de poteſtate Abſoluta, negat de poteſtate ordinaria, *prout ſubeſt Directioni & Regimini Spiritusſancti.* Ergò hinc videmus qualis eſſe poteſt Authoritas iſtius poteſtatis Abſolutæ, & per conſequens Filiæ eius Exẽptionis, quæ non habent aſſiſtentiam Spiritusſancti: per quam Reges regnant, & Principes iuſta decernunt.

59. Et ne aliquis putet opinionem Fillucij eſſe ſingularem: ſciat optimè fundatam eſſe in Iure Canonico. Præſuppoſito enim vt ſupra dixi capitulum *Nuper* eſſe ſtatutum Generalis Concilij Lateranenſis: cui præſidebat Innocentius Papa Tertius: fateri debemus, quod omnium quæ in Concilio fiunt dicitur Author Deus. *Can. præſenti. Diſt. 54.* Et in Concilio geſta dicuntur eſſe facta ex ſuggeſtione & inſtructione Spiritus ſancti. *can. ſi quis Diaconus, can: ſi ille. Diſt. 50.*

Hoc ſta-

Hoc ſtatutum Conciliare, quod vocamus cap: *Nuper*. De Decimis. 360. circiter annis inuiolatum permanſit. Primus fuit Euerardus Mercurianus pro tunc Generalis Soc: IESV diſertus & affabilis Orator: Sed immemor illius: *Nec damnoſa Fiſco nec Iuri contraria poſtulari oportere*. 25. *q*. 2. *c*. 14. qui importunâ ſuâ inſtantiâ effecit, vt huic ſtatuo derogaretur. Anno 1578. per Gregorium XIII in Bulla ſua incipiente. *Paſtoralis Officij*. 60.

Dolendum eſt quod huic ſtatuo Conciliari quod de Decimis diſponit, & vel maximè obſtat Exemptioni, per abſolutam poteſtatem derogatum ſit, & quod in eo violatum ſit opus Spiritus ſancti. *can. violatores Canonum*. 25. *q*. 1. 61.

Excuſandus eſt optimus Pontifex Gregorius XIII, hic enim precibus moleſtatus importunitati conceſſit, quæ alias animo deliberato & motu proprio non conceſſiſſet. Et ideò ſi conceſſit aliquid quod lædat alium, præſumitur circumuentus per importunitatē poſtulantis. *Riccius. Deciſ*. 339. *par*: 4. *per totam*. 62.

Et tantò magis excuſandus eſt optimus Pontifex, quia ipſe ſe generaliter toti Orbi terrarum excuſat, ita ſuam quandam Bullam incipiens. *In tanta rerum ac negotiorum mole, qua Romanus Pontifex ex omnibus mundi Partibus aſſidue premitur, vix euitari poteſt, ne aliqua interdum exiliant, quibus poſtea recognitis neceſſe eſt moderationis Remedium adhibere*. Hinc eſt, quod idem Pontifex eodem anno, quo Derogationem Statuto Conciliari fecit, reuocauit quoad nos Priuilegia Exemptionis: dum noſtra ſtatuta Exemptioni à ſolutione Decimarum contraria, approbauit & confirmauit; derogando omnibus & quibuſcunq; Priuilegijs, etiamſi de illis ſpecifica & expreſſa non fieret mentio. *Romæ ſub Annulo Piſcatoris. die* 8. *Aprilis*. 1578. *Pontificatus Anno*. 6. de quo fuſius vide priorem meum libellum. N. 93. & ſequentia.

Placet mihi illa Gregorij Magni Pontificis contra importunos reſolutio: *Hoc poſtpoſita dubitatione teneant, ſicut noſtra* 63.

 defendi-

defendimus, ita singulis quibusq; Ecclesiis sua Iura seruamus; nec cuilibet fauente gratiâ vltra quam meretur impertior, nec vlli hoc quod sui Iuris est, ambitu stimulante derogabo; sed fratres meos per omnia honorare cupio, sicq; studeo honore singulos subuehi; dummodo non sit, quod alteri ab altero Iure possit opponi. 25. q 2. cap: 8.

64. Laudabilem & egregium nostroq; casui opportune seruientem in Iure Canonico lego tentum, ex Epistola Leonis Papæ, ad Martianum Augustum, his verbis. *Priuilegia enim Ecclesiarum Sanctorum Patrum Canonibus instituta, & venerabilis Nicænæ Synodi fixa Decretis, nulla possunt improbitate conuelli, nulla nouitate mutari. In quo opere auxiliante Christo fideliter exequendo, necesse est me perseuerantem exhibere famulatum; quoniam dispensatio mihi credita est, & ad meum tendit reatum, si Paternarum Regulæ Sanctiorum, quæ in Synodo Nicena ad totius Ecclesiæ regimen Spiritu Dei instruente sunt conditæ, me (quod absit) conniuente violentur; & maior sit apud me vnius Fratris voluntas, quam vniuersæ domus Domini communis vtilitas. 25. q. 2. cap: 2.* Hæc Authoritas legi debet in glossa, quia ipse

65. textus, non tam bene sonat, quoniam vt ibidem dicitur, de industria à Collectore in summã redacta est, & aliquot locis mutata. Hæc ita scripta si aliquis apud se non inuenerit, sciat apud me esse in textu Romæ impresso.

66. Generalius de his edisserit, & soluit omnem difficultatem, ad Episcopos Norbonensis Ecclesiæ ita scribens Zozimus Papa. *Contra statuta Patrum condere aliquid, vel mutare, nec huius quidem Sedis potest authoritas: Apud nos enim inconuulsis radicibus viuit antiquitas, cui Decreta Patrum sanxere Reuerentiam. 25. q. 1. cap: 7.*

67. Cuius Leo Papa dat optimam rationem. *Ideò permittente Domino Pastores sumus effecti, vt quod Patres nostri siue in sanctis Canonibus, siue in mundanis affixere Legibus, excedere minimè debeamus. Contra eorum quippè saluberrima agimus Insti-*

Instit uta, si quod ipsi Diuino Statuerunt Consulto, intactum non conseruamus. 25. q. 1. c. 16.

Nam nimis asperum est, & præcipuè bonis sacerdotum moribus inimicum, niti quempiam quacunq; rationis excusatione, & quæ benè sunt ordinata rescindere, & exemplo suo docere cæteros, sua quandocunq; post se Constituta dissoluere. Gregorius Papa Bonifacio I. Defensori 25. q. 2. c. 7. 68

Circa præiudiciosas Exemptiones, dum his auctoritatibus vtor, ne aliquis existimet me esse contrarium dispensationibus, sensum communem concludo verbis S. Bernardi. 69

Quid. Ergò prohibes dispensare? non: sed dissipare. Non sum tam rudis, vt ignorem positos vos Dispensatores, sed in ædificationem, non in destructionem. Deinde quæritur inter Dispensatores, vt fidelis quis inueniatur. Vbi necessitas vrget, excusabilis Dispensatio est. Vbi vtilitas prouocat, Dispensatio laudabilis est: vtilitas dico communis non propria. Nam cum nihil horum est, non planè fidelis Dispensatio, sed crudelis Dissipatio est. S. Bernardus lib: 3. De Consideratione.

Conueniunt istâ Extrauaganti. *Quia Quorundam. Ioan: 22.* Vbi cum recta ratione dicitur. *Non debet esse reprehensibile, Si Papa studeat modificare vel reuocare aliqua in Canonibus, si ea obesse potiùs viderit, quàm prodesse.* Et Concilio Tridentino, vbi statuitur, *Canones sacratissimos exactè esse ab omnibus obseruandos, nec aliter dispensandos, quàm causâ cognitâ, ac summa maturitate, atq; gratis, ab his, ad quos pertinet Dispensatio. Seß: 25. De Reform: cap: 18.* 70

Respondeo ad Secundam Sequelam.

SEcunda sequela est D. Naldi quasi absurda, quod Exemptione vtentes culpam & peccatum contraxissent. 71

Dico hoc non esse à veritate alienum; de quo inprimis Galli prudentissimi viri ita sentiunt. Quicquid (circa Decimas) indulgeant Priuilegia Rom: Ecclesiæ, vobis expedire non credimus contra conscientiam vestram quod alienum est vsurpa- 72

re. Vbi talia Priuilegia non Religionis ſed Ambitionis Inſtrumenta cenſentur. *Conſt: Gallicarum. tit. 2. c. 1. De Priuil: & Diſpen: apud Bochelium.*

73. More ſolito audacius de hoc ediſſerit Sanctarellus Soc: IESV Romanus Theologus dicens. *Papa diſpenſauit, ipſe ſibi viderit: ego immunis ſum. Hic cauillus ſecuros multos reddit tutum verò neminem, quia Papa non eſt Dominus ſed Diſpenſator; ideò qui iniquam Diſpenſationem petit, iniquitatis cauſa eſt, & qui eâ vtitur, eadem ſemper irretitur iniquitate.* Et adducit pro ſententiæ ſuæ confirmatione Sotum. *lib: 3. quæſt: 6. ar.*

74. *3. verſ: Itaq; & Papa.* Vbi ait: *Papam ſine legitima cauſa diſpenſantem grauiter delinquere, & eius delictum non liberare Ambientem, obtinentem, & retinentem à Culpa.* Quem Sanctarellum vide fuſius cum multis authoribus libro eiuſdem: *Variar: Reſolut: quæſt: 1. N. 9.*

Reſpondeo ad Tertiam ſequelam.

IAm Venio ad tertiam ſequelam. Quod totum Ius Canoni-

75. cum ſubuerteretur. R. Modicæ fidei debet eſſe. D. Naldus, qui eſt in hoc puncto dubitauit. Audiat Magnum Papam Gregorium ſic loquentem: *Si ea deſtruerem quæ Anteceſſores no-*

76. *ſtri ſtatuerunt, nonConſtructor, ſed Euerſor eſſe iuſtè comprobarer. 25. q. 2. c. 4.* Idem in alio loco. *Abſit hoc à me, vt ſtatuta Ma-*

77. *iorum conſacerdotibus meis in qualibet Eccleſia infringam, quia mihi iniuriã facio, ſi fratrum meorũ Iura perturbo. 25. q. 2. c. 10.*

78. Non ſolum autem ſic Iura ſubuertuntur, ſed tota Eccleſia perturbatur *Vniuerſæ pacis tranquillitas non aliter poterit cuſtodiri, niſi ſua Canonibus reuerentia intemerata ſeruetur. Leo Papa. Epiſt: 66. Ad Maxen: Anthioch:*

79. *Vniuerſalis enim Eccleſiæ concordia tunc præcipue adoleſcit: ſi ea quæ à Patribus ſtatuta ſunt, ætas ſubſequens reuerenter obſeruet. Symmachus Papa ad Epiſc: Galliæ.*

Expertus Pius quintus quantæ ex iſta occaſione Priuilegiorum

rum, dissensiones, altercationes, & lites inter locorum Ordi- 80.
narios, & Fratrum ipsorum Ordines concitatæ sunt: contra ac ipse sperabat, & præter suam expectationem: vt qui interdum conquereretur multa aliter alioq; sensu à se prolata fuisse, quam literis expressa essent; ac subinde omnia reuocauerit. Quod ne putes excerptum ex aliquo obscuro Authore, scias esse testimonium Gregorij XIII. Pontificis Maximi. *Bulla eius 8. §. 4. Vers: Demum animaduerso. par: 2. Bullarij fol: mihi 280.* Habetur etiam in nostris Constitutionibus Prouinc: lib 5. fol. mihi 405.

Atq; ita tres Consequentiæ D. Naldi non sunt à recta ratione exorbitantes, neq; à veritate alienæ, prout ille existimauit.

Ad §. 24. & sequen.

DIcitur in hoc §. Scire debere Aduersarium Papam posse 81.
determinare quæ sint Personæ habiles & idioneæ: Quibus vel à quibus Decimæ soluantur.

Respondeo.

NEscio ex qua schola prodijt Doctor D. Naldus. Omnes
qui aliquam illius in hisce nostris partibus cognitionem 82.
habent, dicunt esse allumnum Societatis, eidemq; multis nominibus & votis obligatum esse. Vnde non modicam admirationem parit, quod ille qui alios docere præsumit, ipse ignarus fuerit quid hac de re maiora nomina Societatis, Suarez, Laiman, Fillucius, & alij senserint; & quid Sacri Canones determinauerint.

Hic itaq; qui me docere voluit Decimas vacantes, aut vagan- 83.
tes, vel indeterminatas esse; iam sciat in illis ab immemorabili tempore, imò ab ipso exordio nascentis Ecclesiæ Alteri Ius quæsitum: Et hic Alter est Clerus sæcularis: videlicet principaliter Episcopus, secundario Parochus, & subsequenter alij Clerici præbendati, qui habent Beneficia fundata ex fructibus Decimarum. *Filluc: Soc: IESV Theologus. Tract: 27. par: 2.*

De Præ-

De Præcept: ieiun: & Decim: c. 9. quæst: 10. 11. & 12. vsq; ad finem. Laiman lib: 4. Tract: 6. c. 3. N. 5. Suarez. lib: 1. De Diu: cul: neceß: & Decim: c. 21. N. 4. & 5. Et ita omnia Iura Canonica, Ciuilia, Prouincialia, & antiquissimæ fundationes disponunt.

84. Ex quibus vnam dispositionem hic pono, quam Suarez pro fundamento suæ doctrinæ adducit loco supracitato; Et hæc est Concilij Maguntini his verbis. *Si quis Laicus vel Clericus, vel vtriusq; sexus persona proprietatis suæ Bona vel Res alicui dare delegauerit; Decimacionum Prouentum priori Ecclesiæ legitimè assignatum inde abstrahere nullam habeat Potestatem. Quodsi facere tentauerit, talis traditio irrita prorsus ducatur, & ipse ad emendationem Ecclesiastica coërceatur Censura. 16. q. 1. c. si quis.* Seruit ad nostrum Casum: Albertus enim Męcinski postquam Iesuitis aliquot Villas suas donasset, etiam ab eisdem Decimari voluit, negando easdem Plebano Ecclesiæ Parochialis, quam ob causam censura Ecclesiasticâ id est pæna Excommunicationis punitus, & iuxta Iura nostra in Iudicio Tribunalis Regni bannitus est. *Rota in ead: Causa Cracouiens: Decim: 21. Maij 1640. coram R. P. D. Cerro.*

90. Laudat hoc Institutum Suarez & dixit magnâ ratione factum in hunc modum, vt Iura Ecclesiarum quoad fieri posset firma & immutabilia permanerent; nam alias in Ecclesia Dei esset infinita confusio. *Suarez loco supracitato: c. 21. N. 5.*

91. *Quæ enim ad perpetuam vtilitatem generaliter instituta sunt nulla commutatione varientur, nec ad priuatum trahantur commodum, quæ ad Bonum commune sunt præfixa, sed manentibus terminis quos constituerunt Patres; nemo iniustè vsurpet alienum; sed intra fines proprios atq; legitimos prout quis valuerit in*

92. *latitudine se exerceat charitatis. LEO PAPA 25. q. 1. c. 3. Ideò Priuilegia Ecclesiarum intemerata & inuiolata cunctis decernimus manere temporibus, Leges Ecclesiæ Apostolicâ authoritate firmamus, & peregrina iudicia submouemus. ANACLETVS PAPA 25. q. 1. c. 1.*

Err auit

Errauit ergò peregrino suo Iudicio D. Naldus vna cum Patre Procuratore Societ: IESV, quibus visum est apud nos Decimas Vacantes aut vagantes esse, ac proinde ad libitum eorum cuicunq; Personæ assignari posse. 93.

Sed ne omnino Doctrina illius inutilis sit. Dico illam subsistere posse Nangazachi in Partibus Indianis, & alijs locis Infidelium. Quis enim inuideat, vt ex illa terra quam sanguine suo purpurârunt, etiam fructus colligant Decimarum. Et ne tam remote vsq; ad Garamandas & Indos nostri Compatriotæ causa Decimationis relegati esse videantur, sunt in vicinitate Fundi nostri vastissimi & fertilissimi Campi, quos vocamus Oczakouienses, Perekopenses, Tehinenses, Caffenses, & alij his similes agri omnium frugum abundantiâ repletissimi; quos cum ac si essent de noua radice sine præiudicio Cleri secularis Patres Soc: decimare possint, illos procurent, & relinquât nos in nostra antiqua possessione; & frustra non impugnent Ius nostrum quæsitum. 94.

Vt autem D. Naldus Patres Societ: meliùs habilitare posset ad Ius nostrum Decimandi, allegat pro ipsis *c. Ex his. 12. q. 1.* Vbi qui Altari seruit ex altari viuere debet: tanquam hoc dictum sit pro Iesuitis & non pro sæcularibus Sacerdotibus, imò in illo casu nominatur ipse Episcopus. Et ita inter Regulares & Sæculares non vult habere aliquam differentiam; cum tamen Ius Canonicum aliter disponat. 95.

Ad §. 25.

COncedit D. Naldus quod lex retrotrahatur, quando id quod per legem prohibetur, erat etiam ante legem prohibitum. Ex quo infert negando Exemptionem Regularium ante Decretum S. Congregationis fuisse prohibitam. 96.

Respondeo.

MAlè informatum esse de Iuribus nostris D. Naldum, & informaretur meliùs, si legisset meum priorem Libellum. 97.

De Deci-

De Decimis à N. 89. vsq. ad N. 129. Inter alia inuenisset ibi
98. sub N. 96. statutum Gębicianum tenoris sequentis. *Regulares quoq; intelligant se ex possessionibus quas acquisiuerunt, vel in dies acquirent, teneri Decimas prædiales soluere: quemadmodum tenebantur seculares priusquam possessiones huiusmodi in Regulares transtulissent.* Quod approbatum & confirmatum est à Gregorio XV. cum clausulis amplissimis, & Decreto irritanti. *Romæ apud S. Mariam maiorem. sub Annulo piscatoris. die 16. Iunij. 1623. Pontificatus Anno tertio.* Et ita erronea suppositio D. Naldi, quod ante Decretum S. Congregationis Exemptiones apud nos non fuerint prohibitæ, euanescit.

Ad §. 26.

99. DIcit non obstare Decretum irritans in Breui Smi appositum, quia non potest extendi ad præterita quæ non sunt pendentia, sed iam definita.

Respondeo.

100 MAlumus hac in parte credere S. Rotæ Romanæ, quàm D. Naldo: quæ cum dixerit, quod Decretum irritans appositum in Breui habeat oculos retrò, & operetur nullitatem vsque ab ipso initio, habens pro infectis omnes Actus præteritos, *Decis: 666. N. 2. & 3. apud Farinacium.* frustra excludit causam Parochi loci Golabie; quia nos non concedimus definitam, ob nullitatem sententiæ R. P. D. Cerri: ex quo contra statuta nostra prolata, & totus Clerus ipsi in synodo reclamauit, ex eaque occasione Smo de remedio supplicatum est. Et
102 cum anteriorum statutorum nostrorum Sedis Apostolicæ confirmationes habeant in se alia Decreta irritantia: prout illa Gregorij XV. de Anno 1623. etiam hoc afficit omnia quæ sequuntur, ita vt nec effectum nec Iuris fomentum habeant. *Textus notabilis. c. si eo tempore. Et ibi notata De Elect: in 6. Rota Decis: 666 N. 2. apud Farinac:* Vnde in casu nostro sententia R. P D. Cerri tanquam post Decretum irritans subsecuta, nec effectum nec iuris fomentum habebit.

Ad §§.

Ad §§. 27. 28. & 29.

AD istos §§. qui continent in se tertiam D. Naldi conclusionem, non est quod respondeam, quia rationes eiusdem non habent subsistentiam; frustra enim laborat sententiam Rotalem firmare, & executoriales eiusdem conualidare in causa Decimarū de Golambie: quia his obstant Decreta irritantia, & subsequens Vigore Breuis S.mi D. N. Innocentij Papæ X. & Antecedens Vigore Confirmationis statutorum nostrorum Gregorij XV. ita vt à quocunq; ex his Decretis irritantibus sententia Rotalis debeat pati suam infirmitatem, ex supra allegatis. 102

Vnde frustra disputat ibidem D. Naldus quod non sit appellatum: *Quia non præstat impedimentum quod de Iure non sortitur effectum. Reg: Iuris. in 6.* Et tamen est appellatum per viam supplicationis S.mo ab vniuerso Clero, & causa in integrum restituta est, quando iterum S. Congregationi ad decidendum commissa Quæ cùm per omnia contraria sit Decisionibus Rotæ, non est dubium per hoc sententiam ipsius esse reuocatam: quandoquidem inter Iura à Patribus producta fuerunt ostensæ Decisiones Rotæ, quibus S. Congregatio posthabitis contrarium statuit, & sic reuocauit. *C. Monasterium. De Sent: & re iudicata.* 103

Ad §§. 30. & 31.

IN hoc §. est Conclusio 4. vbi dicit D. Naldus Non obligari Regulares Vigore Breuis Apostolici ad soluendum Decimā manipularem, quam non extradebant Antecessores Laici, alias sequeretur Regulares esse peioris conditionis quam seculares. 104

Tandem in §. 31. Impugnat rescriptum S. Congregationis piæ memoriæ Iacobo Zadzik Episcopo Cracouiensi olim transmissum, tanquam nouiter productum, quod vocat simplicem responsionem, & non Authenticum. 105

Respondeo.

COncedo quod Vigore Breuis Apostolici Regulares non obligentur ad soluendum Decimas manipulares, si se pos- 106

sint tueri Transactionibus de Iure subsistentibus. De quibus quoniam sequenti Responsione ad Conclusionem Quintam fusius disseremus, ne eadem sæpius loquamur nunc supersedendum est.

107 Quantum ad sequelam quod Regulares essent peioris Conditionis, nescio vtrum possit dici peior Conditio illius, qui declinat à Malo & facit Bonum. Et ideò nostra Statuta in solutione Decimarum Clericos volunt esse non deteriores Laicis, sed sanctiores. *Const: Synod: lib. 4. fol. 332.* Et facit. *C. Quamuis De Decimis.* Pudeat D. Naldum pro viris Religiosis facere tales consequentias, vt audeat asserere, illos esse Deterioris Conditionis, si à vitijs ad virtutes reuocentur.

108 Rescriptum autem S. Congregationis Episcopo Cracouiensi piæ memoriæ Iacobo Zadzik non potest dici nouiter productum, quia habetur in meo priori libello sub N. 123. & præsumitur S. Congregationem habuisse illius magnam considerationem. Non obstat quod non fuerit exhibitum coram Rota, quia Plebanus Loci Golambie nulla Iura sua produxit, & absens

109 iudicatus. Dico antem satis esse Authenticum per fidem eorum qui subscripserunt, ad quos per Dei gratiam adhuc viuos recursus esse potest: nec enim memoriæ illorum excidisse præsumitur, qui dixerunt sæpius ita S. Congregationem censuisse: Videlicet *Teneri Regulares ad soluendum Decimas, quemadmodum tenebantur seculares antequam Bona sua in Regulares transtulissent.*

110. Qui autem contemnit Hoc Rescriptum S. Congregationis tanquam simplicem Responsionem: sciat se Religiosis votis obnoxium. & sibi dictum esse. *Habeto simplicitatem columbæ, ne cuiquam machineris dolos. c. si cupis. 16. q. 1.*

Et hoc rescriptum conforme est statuto nostro quod voca-

112. mus Gebicianum, ijsdem enim Verbis sonat: vt videre est supra N. 91. ad cuius obseruantiam cum teneantur Regulares, huius vel illius respectu, debent nobis soluere Decimas.

Ad

IN hoc §. habetur quinta Conclusio. nempè obseruandas esse concordias & Transactiones, quia per Decretum S. 113.
Congregationis & per Breue fuerunt confirmatæ & præseruatæ: Alias destrueretur Decretum S. Congregationis.

Dicit etiam non obstare in §. 33. quod Rota annullauerit 114.
Transactionem inter Plebanum Loci Golambie & Patres Soc: ratione Decimarum factam. Quia ipse Plebanus non satisfecit Condicioni. Tandem videtur D. Naldo argumentum valde nouum. Rota annullauit vnam concordiam: Ergò S. Congregatio annullauit omnes. Et idem vsq; ad nauseam repetit Decisiones Rotæ non esse connexas cum Decreto S Congregationis, neq; ab eodem reuocatas.

Respondeo.

IN hac Conclusione quinta suo proprio ore est condemnatus D. Naldus: dixit enim supra in §. 15. suæ scripturæ, hæc 115.
verba. Breue ipsum restringitur ad Decretum Congregationis, quod confirmat; Confirmatio enim nihil dat, sed datum ac concessum corroborat, & non extenditur; sed tanquam accessorium intra limites sui Principalis restringitur. *Ad textum in c. Inter delectos. §. Cum igitur versus finem.*

Illæ ergò Transactiones quæ à Patribus Soc: exhibitæ fu- 116.
erunt, à Sede Apostolica intelliguntur confirmatæ, quia super hoc præcise emanauit Resolutio & intentio Congregationis, vt asserit loco supracitato D. Naldus.

In hoc puncto, quod cum Iure, ratione, & veritate con- 117.
cordat, non contradico. Quia Confirmatio etiam Apostolica non immutat Rem, sed illi dat robur secundum suam naturam. *Rota in vna Meleuitana pensionis. 29. Maij. 1637. coram Ghisilerio. Gregor: XV. Decis: 267. N. 1.* Natura enim Confirmationis est non alterare statum Rei confirmatæ, sed illum conualidare aut ei robur addere, remanentibus tamen

omnibus in eiſdem ſtatu & terminis. *c. cum dilecta. §. cum igitur. De Confir: Rota Deciſ: 177. N. 53. Decis: 219. N. 7. par: 5. Diuer:*

118. His pro Fundamento poſitis. Videamus qualis ſit Natura & ſtatus Tranſactionum Laicalium circa Decimas quas exhibuerunt Patres Soc: in Breui confirmandas: & ad oculum patet omnes eſſe temporaneas; quæ nullo modo obligant ſucceſſores, ita vt aliquibus adſit interpoſita Clauſula *ſine Præiudicio Iurium ſucceſſorum.* Et de his ita Ius diſponit, vt quoniam inter Perſonas Priuatas factæ abſq; authoritate Papæ vel Epiſcopi, ideò non egrediuntur ſuos Authores. *c. De cætero. c. Veniens.*

119. *De Tranſactionibus. Gregor: XV. Deciſ: 152. N. 1.* Et ideò iſtæ Concordiæ poſt ſuos Authores in Iudicium deductæ, non poterant impedire quominus P. Albertus Męcinski in foro Spirituali coram Ordinario ob non ſolutionem Decimarum Excommunicatus declararetur, & in Iudicio Tribunalis Regni Bannitus publicaretur. atteſtante ipſa Rota in Deciſione & ſententia R. P. D. Cerri. *de Anno 1640. in Cauſa Cracouien: Decim:*

120. Hæ pænæ videlicet Excommunicationis & Bannitionis ita afficiebant P. Albertum Męcinski, vt licet Nangazachum relegatus fuerit, nihilominus Patres Soc: non illas potuerunt expiare, antequam ad Concordiam cum Plebano Loci Golambie deuenirent: Quæ Authoritate Nuncij Apoſtolici, cum omnibus ſolennitatibus & cautionibus vix non humanum intellectum Excedentibus ſtabilita, & in ſuperabundanti Iuramento Patrum Soc: tacto pectore more Sacerdotali aſſecurata eſt.

121. Hæc tamen tam legitima & valida Concordia, etiam per triennium ſine vlla contradictione obſeruata, poſtea ſubſequente altero illius Collegij Rectore, nulla & inualida ad inſtantiam eorundem Patrum per Rotam declarata eſt, ex valde leuibus & de Iure non ſubſiſtentibus argumentis: quæ omnia in meo priori libello abunde refutata ſunt. Ex quibus vnum hic commemorat D. Naldus, Defectum videlicet ipſius Parochi

chi: quem Rota clarius expressit, dicendo: quod non soluerit mille trecentos, florenos pro reuocatione Excommunicationis & Bannimentorum contra P. Albertum Męcinski relaxatorum, promissos. Quibus ego iam in meo priori Libello respondi, malè fuisse in hoc puncto Rotam informatam quia P. Albertus Męcinski non pecunia Plebani, sed sola eiusdem quietatione coram Actis ab Excommunicatione & Bannimentis potuit & debuit liberari, cuius sumptus in nostra Cancellaria non excedit vnum florenum. Quæ sint huius pecuniæ mysteria, videndus esset contractus, quia apud nos ordinarie victus in Causa siue pro pœna siue pro satisfactione pecuniam dat, & victor accipit. Vnde non possum meo intellectu percipere, quomodo victor Plebanus condemnatis Patribus Soc: in tanta summa Pecuniæ esset obligatus. 122.

Nouum Argumentum videtur D. Naldo, Rota annullauit vnam supranominatam Concordiam. Ergò Congregatio annullauit omnes. Nobis autem videtur satis optimum argumentum contra Patres Soc: Si concordiam cum Plebano Loci Golabie quæ cum omnibus requisitis de Iure *solennitatibus* cum Authoritate Nuncij Apostolici peracta est, & Vestro Iuramento more Sacerdotali confirmata, ita vt pro perpetuis temporibus esset obseruanda, annullastis. Quomodo Laicorum & quidem Hæreticorum temporaneas Transactiones sine vlla solennitate & auctoritate factas, contra omnia Iura perpetuas manere contenditis? Quæ cum sint post Authores suos nullæ & inualidæ, non iuuantur per Breue Confirmatorium. Quia nullum quod in se est, non validatur ex Confirmatione. *Rota in vna Bononiensi Fidei commissi de Blanchis. 14. Ianuarij 1636. coram R. P. D. Roias.* 123.

Non aliam ob Causam Vobis supradictam concordiam cum Plebano loci Golambie in secundo meo libello expresse posui, nisi vt in ea omnes quæ possunt esse de Iure solennitates, cum auctoritate Nuncij Apostolici & Iuramento vestro coniunctas, 124

conside-

consideraretis, ad eaq; omnia, tanquam ad Lydium lapidem, laicales Transactiones probaretis & conformaretis.

Quæ Transactiones cum ita nullæ & inualidæ appareant,
125. non ideo prout infert D. Naldus, Decretum S. Congregationis destruitur, quia in ipso inest tacita conditio. *Saluæ remanent Transactiones; In quantum de Iure subsistunt.* Et ista interpretatio admitti debet, quia æquitati conuenit; Iuri communi consentanea; stat pro validitate Decreti; culpam & iniquitatem excludit; Et à Prudentibus repræhendi non potest. Quæ omnia non solum simul iuncta, sed singula sufficiunt ad rectam Interpretationem. *Menoch: De Arbitr: Iud: lib: 2. Cent: 2. casu 199. per totum.* Confirmatio enim semper intelligitur, dummodo Actus confirmatus, ante confirmationem valebat. *Rota Decis: 31. N. 6. par: 2. Diuers.*

Ad §§. 34. & 35.

126 SExtam & vltimam Conclusionem ponit D. Naldus. Executores literarum Apostolicarum super tali Decreto emanatorum non sunt Loci ordinarij, sed Nuncius Apostolicus. quia singulariter nominatus. Et Episcopi cum sint Partes non possunt iudicare. Tandem concludit instari debere apud Nuncium Apostolicum, vt Causam determinet non secundum Ius, sed secundum voluntatem Patrum Soc: Et si contrarium faciat, appellandum esse.

Respondeo.

127 POstquam omnia Iura D. Naldus in suis Conclusionibus confundere vellet, etiam contra Iurisdictionem nostrorum Lociordinariorum insurrexit. Et hic est fructus tot Beneficiorum à Lociordinarijs Patribus Soc: humanissimè præstitorum, vt quos tanquam Patronos & Benefactores reuereri deberent:
128. iam ipsorum Iurisdictionem sine causa impugnant. Si benè legistis & considerastis Breue Apostolicum, præterire non potuistis illam executionis Clausulam: *Sicq; per quoscunq; Iudices Ordi-*

Ordinarios & delegatos iudicari & definiri debere decernimus. In quibus verbis cùm sit nostris Episcopis tanquam ordinarijs & sedis Apostolicæ Delegatis potestas vos iudicandi; quare illos excluditis? Non potuistis ex vestra Theologia, neq; de Iure Canonico Iurisdictionem Episcopalem arguere, ideò de Iure Ciuili Legem tanquam ipsis contrariam allegastis. Sed valde ab hac Lege aberrastis, cuius verba hic subiungo. *Cum prætor vnum ex pluribus iudicare vetat, cæteris id committere videtur. L. Cum Prætor. ff. De Iudicijs.*

Quomodo hæc Lex quadret ad nostros Episcopos, ego non possum capere: Video enim in Breui concessam esse facultatem Lociordinarijs Iesuitas Iudicandi in Causis Decimarum: Sed an sit alicui vetita, non possum animaduertere. Et tamen dixerunt hanc Legem esse in Terminis: continuando vlterius his verbis: Et tantò magis quod ipsi Ordinarij sunt Partes: ad quod probandum allegant etiam hanc Legem Ciuilem *Generali Lege decernimus neminem sibi esse Iudicem, vel Ius sibi dicere debere. In re enim propria iniquum admodum est, alicui licentiam tribuere sententiæ. L. vnica. Ne quis in sua Causa.* 130

Quis vnquam sanæ mentis existimauit ex allegatione huius Legis, Parochum & quemlibet Clericum qui habet litem cum Iesuitis, eundem esse cum Episcopo. Ex qua identitate sequeretur, vt nullam amplius haberent Episcopi in Clericos Iurisdictionem, cùm essent ijdem & Partes inter se; iuxta nouam opinionem Patrum Societatis. Et sic qui omnia Iura & Iurisdictionem confundere voluerunt, neq; inter Personas & dignitates gradum & superioritatem admittunt, contra Ecclesiasticam dispositionem. 131

Ne autem existimet D. Naldus Vigore tantum istius vltimi Breuis Iurisdictionem nostris Lociordinarijs in Causis Decimarum deberi: sciat vigore Statutorum nostrorum à sede Apostolica approbatorum & confirmatorum talem Executionis Potestatem habere, vt Contradictores quoslibet & rebelles cuiusuis 132

Instituti Regulares, per poenas, sententias, & Censuras Ecclesiasticas, aliaq; opportuna Iuris & Facti Remedia, &c. quacunq; Appellatione remota, &c. inuocato etiam si opus esset auxilio Brachij secularis compellere possint. Non obstantibus quibuscunq; Priuilegijs etiamsi de illis specifica & expressa facienda esset Mentio, &c. cum Decreto irritanti, &c. *Gregorius Papa XIII. De Anno 1578. Et Gregorius XV. De Anno 1623.* Sed non mirum quod hæc D. Naldo fuerint ignota, qui prohibitam fuisse ante Decretum S. Congregationis Exemptionem persuadere sibi non potuit.

133. Vltimarie D. Naldus sermonem suum dirigit ad Ill.mum & R.mum D. Nuncium Apostolicum; sed frustra speciosâ Oratione captat eius Beneuolentiam, ille enim causam hanc maluit iudicare secundum dispositionem Iuris. *c. Si quis. De Confir: &c.* quàm secundum argumenta minus probabilia D. Naldi. Et talem ad fauorem Cleri secularis sententiam tulit & publicauit, quæ est Iuri conformis. *Varsauiæ 12. Augusti Anno 1647.*

134 Valde autem deturpauit dignitatem Nuncij Apostolici cum facultatibus Legati de Latere, quando illum voluit esse Executorem. *iuxta l. Si vt proponis. C. De Executore.* Et de hoc videre debuit glossam, quæ hunc Executorem vocat eum, qui cognoscere non potest nisi in Causis Vilibus, ex necessitate sibi tanquam non Ordinario Iudici facta commissione. *Vt ff. De Iu-*

135. *dicijs. l. fin.* Aliud autem est quando Executor est Præses Prouinciæ, vel procurator Cæsaris, qui sententiam possunt interpretari, iuxta Verba Legis, quæ hic subiungo. *Ab Executore sententiæ appellare non licet: sed ab eo qui sententiam male interpretari dicitur, appellare licet: si tamen is interpretandi Potestatem habuit, velut Præses Prouinciæ, aut Procurator Cæsaris: ita tamen vt in causis Appellationis reddendis hoc solum quæratur, An iure interpretatum sit. l. Ab Executore. ff. De Appellat:* Quid autem facilius esse potest, quàm in tam Iure manifesto sententiam Ill.mi D. Nuncij Apostolici iustificare?

A qua

A qua appellationem credo non esse admissam, quam etiã 136.
Breue S.mi postpositam esse Voluit, & contra Contradictores inuocandum esse auxilium Brachij secularis. Sed per Dei gratiam sufficiunt apud nos Vires D.D. Episcopis, si velint tueri suam auctoritatem.

Conclusio.

CVm ita de Iure Argumenta & Conclusiones D. Naldi 137.
tanquam minime probabiles, quia Iuri & æquitati repugnantes confutauimus, facile credendum est, quod ille nihilominùs in Compania Procuratoris Patrum Soc: precibus suis S. Congregationem molestabit, vt sui capitis argumenta, contra manifesta Iura à nobis deducta, apud eandem præualeant. Cui (videlicet P. Procuratori) obijci potest illud ex Ciuili textu. *Nec Damnosa fisco, nec Iuri contraria postulari oportere. 25. q. 2. c. 14.*

Hoc modestæ Discretioni sufficere posset, sed importuni- 138.
tas non cessabit intentionem suam promouere, & coram Eminen mis Cardinalibus, eorumq; Auditoribus & Secretarijs in vna manu Priuilegia suæ Exemptionis vsq; ad cœlum extollere, altera verò manu statuta nostra Prouincialia vsq; ad infernum deprimere. Cui Magistrali sua doctrina obstat Pelagius Papa: in hæc verba. *Dicenti Sacras iussiones se habere præ manibus: Respondimus scire illum oportere, quod ipse clementissimus Princeps generalibus legibus constituerit, illa Sacra vniuscuiusq; desiderio concessa præualere & effectui mancipari, quæ cum Iuris & legum ratione concordant: Ea verò quæ subreptione vel falsis precibus forsan impetrantur, nullum supplicantibus ferre Remedium. 22. q. 2. c. 16.*

Imperiali Verò Constitutione aperte sancitum est, vt ea quæ 141.
contra leges fiunt, non solum inutilia, sed etiam pro infectis habenda sint. Gregorius Papa. 25. q. 2. c. 13.

In eundem sensum Imperatores Theodosius & Valentinia- 142.

nus

-nus ita statuerunt *Rescripta contra Ius elicita ab omnibus Iudicibus præcipimus refutari, nisi forte aliquid est, quod non lædat alium, & prosit potenti, vel crimen supplicantibus indulgeat.* Quæ sæcularium Principum sententiæ tantopere placuerunt Ecclesiæ, vt etiam inter Sacros Canones insererentur. *25. q. 2. c. 15.* cum his quæ ibi præcesserunt & subsequuntur.

143 Neq; Ius Canonicum in his potuit pati aliquod mancamentum, dum præscripsit modum iudicandi his verbis *Canonum statuta custodiantur ab omnibus: Et nemo in actionibus vel iudicijs Ecclesiasticis suo sensu, sed eorum authoritate ducatur. c. 1. De Constitutionibus.*

144 Et sic nostræ Causæ & Iustitiæ confidimus, vt cum sacris Canonibus & statutis Prouincialibus & viuere & mori optemus. *Quia Prima salus est rectæ fidei regulam custodire, & à Constitutis Patrum nullatenus deuiare. 25. q. 1. c. 9.*

145. Concludendo non possum præterire egregium in Iure Canonico textum, qui Cleri Poloniæ in condendis & tuendis statutis Prouincialibus, maiorem futuris temporibus poterit excitare Zelum & feruorem: Et Patres Soc: vt in speculo animaduertent, quid sit Transactiones Laicorum circa Decimas sine authoritate Episcoporum factas promouere, & velle saluare. Cui titulus est.

Anathema sit qui præter Episcopi conscientiam.
Decimas & oblationes dispensare voluerit.

146 IN Canonibus in Gangrensi Ecclesia Apostolica authoritate conditis (& talia sunt nostra Statuta Prouincialia) de fructuũ oblationibus quæ ministris Ecclesiæ debentur, &c. scriptum habetur. Si quis oblationes accipere vel dare voluerit præter Episcopi conscientiã, vel cui huiuscemodi sunt officia commis-

147 sa; nec cùm eius voluerit agere consilio; *Anathema sit.* Et iterum in eodem Concilio Gangrensi. Si quis oblata Deo dederit vel acceperit præter Episcopum, vel eum qui constitutus est

ab eo

ab eo ad diſpenſandam miſericordiam pauperibus; & qui dat, & qui accipit; *Anathema ſit.* Valde iniquum ergò & ingens ſacrilegium eſt, vt quæcunq; vel pro remedio Peccatorum, vel ſalute, vel requie Animarum ſuarum vnuſquiſq; Venerabili Eccleſiæ contulerit, aut certe reliquerit: ab his, à quibus hæc ſeruari id eſt Chriſtianis & Deum timentibus hominibus, & ſuper omnia Principibus & Primis Regionum in aliud transferri, vel conuerti. *Et infra.* Generaliter verò, Quicunq; res Eccleſiæ 148
confiſcare, aut competere, aut peruadere periculoſa ſua infeſtatione præſumpſerit, niſi ſe citiſſimè per Eccleſiæ, de qua agitur, ſatisfactionem correxerit, *perpetuo Anathemate feriatur, &c.* Iniquum enim eſſe cenſemus, vt Cuſtodes potiùs chartarum, quàm defenſores rerum creditarum, vt præceptum eſt, iudicemur. *Et infra.* §. Ferro enim abſcindenda ſunt vulnera, quæ 149
fomenta non ſentiunt. §. Similiter & illi extorres debent fieri ab Eccleſia, qui ſacerdotali admonitione non corriguntur, dicente Domino; [*Auferte malum eſſe vobis.*] Et ita Vniuerſa Sy- 150
nodus acclamauit. Vt ita fiat rogamus. *Dictum eſt octies.* Iſta ſeruentur precamur. *Dictum eſt decies.* Vt in perpetuum maneant, & veſtra authoritate firmentur. *Dictum eſt duodecies.* Exaudi Chriſte. Symmacho Papæ vita. *Dictum eſt duodecies.* Eadem nos vota pro Iure noſtro ingeminamus. Exaudi Chriſte. Innocentio Papæ vita. S. Congregationi Salus. Et dictum ſit pluſquam duodecies. *16. q. 1. c. 57.*

Et hæc eſt Legalis & Canonica defenſio noſtra, Iuſtitiæ Cauſæ, S. Congregationis. Eminenrnm S. Concilij Tridentini Interpretum Decreto, & confirmationi Sedis Apoſtolicæ innixa; Vigore cuius ijdem RR. Patres Collegij Cracouien: Soc: IESV. cum D. Parocho Loci Golambie, in Curia Illmi & Rnmi D. Nuncij Apoſtolici, coram officio eiuſdem, iterum concordârunt, eo tenore & ſolennitate Contractus Iurati; prout ſequitur.

In Nomine Domini Amen.

PRæſenti publico Inſtrumento cunctis vbiq́, pateat euidenter & ſit notum: quod Anno à Natiuitate eiuſdem D. N. IESV Chriſti 1647. Indicione XV. die verò 21. Menſ: Octob: Pontificatus autem S. S. in Chriſto Patris & Domini noſtri Innocentij Diuinâ Prouidentiâ Papæ X. Anno eius Quarto. Cùm veritas fuerit & ſit, quòd multis abhinc annis verſæ fuerint lites & controuerſiæ, inter admodum R. D. Albertum Reiminski. Præpoſitum & Parochum Golambien, S. R. M. Secretarium ex vna; & R. R. Patres Soc: IESV Collegij ad S. Petrum & Paulum Cracouienſ: partibus ex altera: ratione Decimarum Cmetonalium & prædialium manipularium, omnis grani & ſeminis, villarum videlicet Zyrzyn, Strzyzevvice, Parzachvvina Wola, Pogonovv, Niebrzegovv, & Boriſſovv: In qua Cauſa fuit pro patre Patrum Soc: IESV obtenta Deciſio in S. Rota Romana, ad eorum fauorem; Poſtea verò de Anno 1645. die Ven: 17. Iunij. per S. Congregationem Em rum Dñorum Cardinalium S. Concilij Interpretum, cum approbatione Smi prout in eodem Breui ſub die 21. Febr: 1646. ad fauorem totius Regni Poloniæ Cleri fuit declaratum, prout patet ex reſcripto eiuſdem Congregationis, ſub iſtis verbis. *In cauſa Decimarum Regni Poloniæ, die 17. Iunij 1645. S. Congregatio Eminentum Cardinalium S. Concilij Tridentini Interpretum, iterum atq́; iterum auditis Regularibus, & præcipuè Patribus Soc: IESV eorumq́; Iuribus & Priuilegijs mature diſcuſſis, Cenſuit, ab eiſdem Patribus & alijs Regularibus ſoluendas eſſe Parochis, & Alijs Beneficiatis Regni Poloniæ Decimas, quæ ſoluebantur à Laicis, priusquam Bona in ipſorum Patrum, & aliorum Regularium proprietatem fuerunt tranſlata: firmis tamen remanentibus Tranſactionibus de ſuper factis.* Vigoreq́; prædicti Breuis, idem Parochus in Golab citauit eoſdem Patres, totamq́; communitatem Soc: IESV. ad SS. Petrum & Paulum, coram Illmo & Rnmo D. Nuncio Apoſtolico: Et introducta Cauſa eaq́; diſcuſſa, & poſt

post multos terminos, deniq; decisa ad fauorem dicti Praepositi Golabiensis. Videlicet: *Decimas dictarum villarum decursas, & in futurum decurrendas dicto Parocho Golambien: per Dictos Patres deberi; & alias prout latius in Decreto, sub die 12. Aug: Anni praesentis. 1647. lato.* Id quod &c. Attamen volentes praedictae partes, tam R. D. Parochus, quàm etiam dicti Patres, totaq; Communitas Collegij praedicti pacificè, quietè, fraternèq; in charitate vt decet viuere, lites effugere. &c. deliberârunt propterea inter ipsos concordiam inire pro Bono, & quiete Pacis. Hinc est, quod in mei Notarij Publici testiumq; infrascriptorum praesentia, praesentes & personaliter constituti; praedictus Adm̃ R. Albertus Reiminski Praepositus & Parochus Golambien: Et Adm̃. R. P. Ioannes Psarski Rector praedicti Collegij, tam nomine suo proprio, quàm nomine aliorum Patrum, & totius Collegij Communitatis eiusdem Collegij, non vi, sed sponte, ac oretenus declarant. Quod in causa praedicta ratione Decimarum ex villis praefatis sic per amicabilem Compositionem conueniunt. Videlicet inprimis quoad praeterita ad huc vsq; diem & Annum, Adm̃ R. D. Praepositus accepta satisfactione, pro Anterioribus omnibus quietat, & liberos facit dictos RR. Patres praedicti Collegij in perpetuũ in forma solita. &c. cum solitis clausulis, &c. quamuis hic &c. Quo verò ad futuros annos incipientes ab A. 1648. inclusiue, prout inter sese conuenerunt, dictus R. P. Rector eiusq; successores, nominibus vt supra, ex sortibus suis, ex nunc prout extunc, in villis suis, Zyrzyn, Pogonovv, Strzyzevvice, & Parachvvianka existentib⁹, pro Decimis Generaliter, tunc & pro tempore existentib⁹, soluere tenebuntur quolibet Anno in Festo S. Martini in eius Residentia summam florenorum Ducentorum Polonicalium. Ex villis verò Niebrzegovv, & Borislovv, totam Decimam manipularẽ, tam ex agris Cmetonalibus, quàm Praedialibus, aliorumq; Colonorum & Hortulanorum, quae à Laicis Antecessoribus Patrum exdecimabatur, iuxta Breue Apostoli-

cum

cum Innocentij moderni Papæ X. Ad quod &c. exdecimabit sibi dictus Parochus Golambiens: & eius successores, sine vllo impedimento, & contradictione Patrum, ac figura & strepitu iudicij: neque tenebitur ad onera publica ex ijsdem villis, ex quibus Decimam manipularem non percipit. Iamq; ex nunc prout ex tunc, renunciant ambæ partes omnibus litibus, Processibus, Prouocationibus, Appellationibus, Reclamationibus, supplicationibus, in hac causa: tam in partibus quàm extra, & non alias, aliter, nec alio modo. Obligat se insuper dictus R. Rector cum suo Collegio, quod si alia Bona de nouo acquisiuerint, nihil hoc derogare debet Decimæ, & Iuribus Ecclesiæ Golambiens: atque ex subditis suis omnimodam Iustitiam, in quibuscunque casibus, secundum posse administraturum se pollicetur. Approbationem verò præsentium à R.mo P. Præposito Generali totius Soc: IESV. R. P. Rector obtinere curabit consensum liberum infra quadrimestre: A SS. verò Domino nostro Papa, obtinere curabit dictus R. Præpositus Golabiens: quatenus vult &c. mutuamq; deinceps concordiam seruandam, sese inuicem in Zelo animarum, circa prædictarum villarum incolas ad Dei gloriam promouendam, iuxta vocationem suam iuuabunt, saluâ in omnibus authoritate Illustrissimi Domini Lociordinarij. In omnibus autem punctis, Clausulis, & Cautelis, vt supra appositis; prædictæ partes stare promiserunt, absq; vlla contradictione, & controuersia. Casu verò Contradictionis & Controuersiarum, partes prædictæ non intendunt renunciare suis Actionibus, & Iudicijs: Quo casu, D. Reiminski non intendit sibi præiudicare circa Mandatum Executiuum, & vltimum Decretum, de quo in Actis: Quod & quæ in suo statu & robore permaneat, seu permaneant, & non alias, aliter, nec alio modo: Sic etiam Viceuersa prædicti Patres in Euentu Contrarij. non intendunt in nihilo præiudicare Iuribus, Appellationibus, Beneficijs, & alijs quibuscunque rationibus ad eorum fauorem facientibus. Et si partes præ-

tes prædictæ non permaneant in prædictis conditionibus, & Patres non satisfecerint dicto R. Præposito iuxta prædicta, &c. dictus D. Reiminski non possit deuenire ad declarationem Excommunicationis, contra eosdem Patrem Rectorem, & alios, nisi prius intimatis ipsis, &c. in eodem Tribunali Illustrissimi D. Nuncij Apostolici. alias &c.

Quæ omnia & singula in præsenti Instrumento contenta, & expressa, prædictæ partes, quibus supra respectiuè nominibus, promiserunt ad inuicem & vicissim in perpetuum obseruare, adimplere, suis loco, & tempore. Contraq; non facere, dicere, neque opponere, vel venire, per seipsos, vel alios, directè, vel indirectè, tacitè, & expresè, quouis sub prætextu, seu quæsito colore, causa, vel ingenio, etiam de nouo, &c. cogitata, vel non cogitata, in corpore Iuris clausa, quamuis legitima, & de Iure merente Restitutionem in integrum. Sed omnia semper inuiolabiter obseruare, & attendere, rata & grata, valida & firma, in perpetuum habere, & tenere promiserunt ad inuicem. &c. Etiam omnia damna, de quibus. &c. pro quibus &c. prædictæ partes, nominibus respectiue, quibus supra, ad inuicem sese & successores respectiuè obligârunt in ampliori forma R. Cameræ Apostolicæ, seu alia quauis validiori forma, renunciando quibusuis exceptionibus ad eorum fauorem, &c. *Et sic tactis pectoribus more sacerdotum & scripturis respectiuè iurârunt.* Consentientes &c. vnica, &c. Super quibus omnibus & singulis præmissis, petitum fuit à me Notario publico infrascripto, vt vnum vel plura, publicum siue publica, facerem atq; traderem Iustrumentum & Instrumenta quæcunq;, prout opus fuerit, & requisitus fuero. Actum Varsauiæ; in Ducatu Masouiæ, Diæc: Posnaniens: in Palatio Ilustrissimi & Reuerendissimi D. Nuncij Apostolici sito iuxta suos fines, in Sala Palatij. præsentibus ibidē perillustri & Reu^mo^ D. Iacobo Elephantucio I^r^ V. D. Rauen: Auditore eiusdem Illustrissimi D. Nuncij. Et Reuerendo D. Horatio Santio de monte Bodio Sengaliens:

Diæc: testibus ad præmissa vocatis, atq; expresse rogatis.
(Locus Signi.) cum literis. S. M: T. L.

Ego Titus Lucianus Asculanus, Publicus Apost. imperialiq; authoritate Notarius, & ad Præsens Curiæ Causarum Illustrissimi & Reuerendissimi D. Nuncij Aplici Cancellarius, De præmissis rogatus, ideò alijs negotijs impeditus, per alium mihi fidum scribere feci. &c. Subscripsi & publicaui requisitus appē: remiss: & causa. Idem Titus &c.

Optimam spem conceperat D. Parochus, quod in posterum Bona Patrum Soc: vigore prædicti Contractus, absq; vlla contradictione decimabit: fretus vel maximè Iuramento Patrum, quo se ad promptiorem solutionem eidem obligarunt. Sed intra paucos menses deceptus est, ita vt litem iam per Concordiam sopitam, denuò in eodem Tribunali Illustrissimi & Reuerendissimi D. Nuncij Aplici resuscitare debuerit: Non sine mortificatione Patrum Societatis contra quos Varsauiæ & Cracouiæ Ecclesiastica Censura publicè promulgata est: authoritate & Decreto Illustrissimi D. Nuncij Apostolici.

Sibi imputent, quòd ita contraxerint, vt Mandatum Executiuum & vltimum Decretum sub die 12. Aug: 1647. in casu non satisfactionis, in suo statu & robore permanerent. Sed licet non adesset hæc clausula, ad tollendam Collusionem, & simulationem talem Interpretationem esse amplectendam, in simili casu Concordiæ, censuit Rota apud Cardinalem Seraphinum. *Decis: 1343. in fine.* In quo termino non obseruatæ Concordiæ, etiam secundum sententiam Theologorum, esset Reincidentia Excommunicationis. *Iuxta Laiman Soc: IESV. lib: 1. De Censuris. tract 5. cap: 7. N. 8.*

Et hinc iste rigor: Quia non est ferendum, vt quis ex eo Contractu, quem non impleuit, commodum consequatur. *Rota. apud Seraph: Decis: 209. N. 4.*

Dicunt fortassis Patres Soc: non licuisse sibi ita contrahere, quia

quia tali contractu videntur renunciasse suis Priuilegijs. Respondet fuse huic difficultati Suarez, Lumen Soc: IESV. & concludit dicendo. *Tale Pactum circa Decimas esse validum, & legitimum, nullumq; Ius Positiuum talem Conuentionem prohibere, imò in multis casibus Ius illam consulit; vt patet ex cc. Dilecti: & suggestum. Quam Conuentionem vocat iustam, & congruam Religioni, quia est secundum Ius Commune, ita vt ipsi non sit necessaria confirmatio Papæ, vel alterius Prælati: Suarez. De Relig: lib: 1. De Decimis. c. 20. N. 5.* Eandem doctrinam sequitur in omnibus Fillucius Soc: IESV. *Tract. 27. De Præcept: ieiunij & Decim: c. 8. N. 185.*

Obijcient Patres Soc: maioris apud eos esse Authoritatis R^n^mum P. Generalem, qui reprobat hunc Contractum, quàm doctrinam Suarez, aut Fillucij. R. Stet sanè, quod Rn mus P. Generalis possit recedere à doctrina summorum Theologorum suæ Societatis. Sed valde dubito, an possit recedere à Iure Canonico: *quod non intendit derogare Conuentionibus, imò inuiolabiter obseruari iubet, & ad easdem Priuilegiatos, etiam appellatione postpositâ, compellit. c. Ex multiplici: c. Dilecti: De Decimis.*

Nisi fortè Societas IESV talis Eminentiæ, & prærogatiuæ sit, vt quadrare sibi non putet, quod à sede Apostolica alijs pari Exemptione vtentibus dictum est. *Discretioni vestræ mandamus, vt super ipsis Decimis componatis. Nam quando Romana Ecclesia Ordini vestro Priuilegia De Decimis dederat, ita erant Abbatiæ raræ vestri Ordinis, quòd exinde nulli poterat de Iure scandalum suboriri: Sed nunc in tantum augmentatæ sunt, ac possessionibus ditatæ, quod multi viri Ecclesiastici de vobis, apud nos, querelam sæpe proponunt. c. Suggestum. De Decimis.* Quadrant optimè ista ad quamcunq; Religionem. *Quia vbi est eadem ratio, eadem & Iuris debet esse Dispositio.* Et nostra Statuta obligant cuiuscunq; Instituti Regulares. Vtinam hæc sufficiant Societati IESV: quæ si diutius in hac causa, circa subtilitates suas laborare contendat, pro Conclusione illud ei commemoro

 memoro

memoro ex Canonico textu. *Ne innitaris Prudentia tuæ: Prudentiæ ſuæ innititur, qui ea quæ ſibi agenda vel dicenda videntur, Patrum Decretis præponit.* De Conſtitutionibus.

Et hæc, pro Iure, & Iuſtitia Cleri Secularis, Amicus Perſonarum, inimicus Cauſæ, Bono publico dedicauit.

Ioannes Márkiewicz. I. V. D. Canonicus Poſnanienſis.
S. Iacobi Caſimiriæ ad Cracouiam Præpoſitus.
S. R. M. Secretarius.

Ad Lectorem.

EX priori meo Libello aliqua, ſine quibus hic tertius meus Libellus ſufficiens eſſe non poterat, reiteraui: præſupponendo non omnibus prioris copiam eſſe poſſe. Quod cum beneuoli Lectoris mei commoditati præſtiterim, vitio verti non permittat. Et ſi rationes noſtras probauerit, etiam Iurium noſtrorum præbeat ſe defenſorem. Cracouiæ. 6. *Aprilis.* 1648.